

torum quatuor Ecclesiae doctorum festiuitates, pie memorie Bonifacii Papae VIII., etiam praedecessoris nostri, praeepto, celebrantur, sic eundem festum diem sancti Thomae in perpetuum posthac omnes item utriusque sexus christifideles celebrent et venerentur, apostolica auctoritate statuimus ac sancimus.

§. 4. Ut vero etiam sancti doctoris majori studio ac pietate cultus et veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus utriusque christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in ipso sancti Thomae festiuitatis die sacellum vel altare in Ecclesia sancti Dominici Neapolitani situm, in quo scriptoris angelici doctrina Salvatoris crucifixi ore (sicuti pia testatur historia) mirabiliter probata fuit, a primis eius diei vespertis usque ad occasum solis, devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas,

§. 5. In caeteris autem orbis terrae partibus iis, qui eundem festum diem, ut praefertur, solemniter celebraverint et ad ecclesiam, quae apud eos fuerit, vel sacellum aut altare sub eiusdem sancti Thomae invocatione, pie ac devote accesserint, quoties id fecerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia per praesentes literas in perpetuum valituras, quas sub aliis cuiuscumque generis indulgentiarum concessionibus et illarum revocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

§. 6. Et quia difficile esset has ipsas literas ad singula orbis terrarum loca pervenire, volumus et auctoritate apostolica decernimus ut earum exemplis etc.

§. 7. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Aprilis 1657.

(Bull. r. t. VII. p. 564. Ed. Aug. Taur.)

2) Translationis festum in regno Neapol. Neapolitana.

Petitio ad instantiam Civitatis Neapolitanae nempe quod in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino recitetur officium duplex per civitatem et dioecesim neapolitanam, Congregatio concedi posse censuit et declaravit. Die 21. Augusti 1604.

(Anal. J. P. p. 37. n. 132.)

Neapolitana.

Petitio ad instantiam deputatorum Civitatis Neapolitanae nempe ut in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino ab Ecclesia s. Dominici, ad capellam thesauri Ecclesiae archiepiscopalis per eandem civitatem et dioecesim officium duplex in honorem ipsius Beati, quem in unum ex patronis ipsius civitatis elegerunt, recitetur, Sacra Rituum Congregatio concedi posse et declaravit die 21. Augusti 1604. Et iterum ad instantiam eorumdem deputatorum et ad omne dubium tollendum, eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit supradictum decretum esse intelligendum ut singulis annis in die translationis reliquiae supradictae, per civitatem et dioecesim supradictas officium duplex de dicto beato Thoma de Aquino libere et licite recitari possit et valeat, dummodo alio festo duplici vel die dominico non sit impeditum; quo casu in sequentem diem vel alium non impeditum transferendum et recitandum esse censuit et declaravit. Die 11. Septembris 1604.

(Ibid. p. 38. n. 136.)

Neapolitana.

Cum alias Clemens Papa VIII fe.

rec. Neapolitanae Civitati indulserit, ut posset sub ritu et officio duplici solemnizari et celebrari festum translationis s. Thomae de Aquino, quae translatio fuit facta die 20. Januarii et quia eo die cadit etiam festum s. Sebastiani, ne unum ab alio festo duplici impediatur, eadem Civitas Neapolitana Sacra Rituum Congregationi supplicavit pro licentia transferendi dictum festum translationis in diem praecedentem 19. ejusdem mensis Januarii, quo die a dicta Civitate Neapolitana idem s. Thomas in octavum ejusdem civitatis protectorem electus fuit.

Eadem Sacrorum Rituum Congregatio translationem hujusmodi festi posse ut petitur concedi censuit et declaravit. Die 25. Februarii 1606.

(Ibid. p. 53. n. 190.)

S. THOMAS CANTUAR.

1) Lectiones I. n. in casu transl. in sequ. annum.

Occurrente dominica infra octavam Nativitatis D. N. J. C. in die 29. Decembris sive in festo s. Thomae Cantuariensis, hoc ex speciali indulto Gregorii PP. XV. transfertur in Hispania ad diem 5. Januarii anni sequentis: quaeritur ergo utrum in hoc casu lectiones primi nocturni debeant esse in hoc festo de scriptura occurrente sive de vigilia Epiphaniae, prout quidam rubricistae opinantur, an vero quae in illo habentur assignatae de communi unius martyris Pontificis?

Resp.: In recitatione divini officii lectiones primi nocturni semper, quantum fieri potest, legendas esse de scriptura occurrente, patet ex rubr. gener. brev. rom. tit. XXVI. de lectionibus n. 5., quae ideo in officio

de tempore sic per annum eam distributam esse affirmant, ut quotidie aliquid ex ea legatur. Diximus: quantum fieri potest, quia aliquando leguntur lectiones de scriptura quidem sed positae in communi Sanctorum. Illae autem leguntur in festis Sanctorum vel ad majorem solemnitatem et distinctionem; lectiones de scriptura, sic ajunt rubricae generales loc. cit. n. 9., positae in communi Sanctorum, legantur in festis, ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum; rursus quando aliquod festum in propria Ecclesia solemniter celebratur vel ad necessitatem: item, quando aliquod festum novem lectionum occurrit in quadragesima et quatuor temporibus, in secunda feria rogationum et in vigilia Ascensionis, in quibus feriis in officio de tempore non assignantur lectiones de scriptura sed de homilia; tunc enim in festis recurrendum est ad lectiones de scriptura positas in communi Sanctorum. Quod perbelle explicat Gavantus ad hanc rubricam sect. V., cap. XII., n. 14.: Quando de scriptura per annum distributa non potest legi in festo novem lectionum in primo nocturno, quia eo die non habetur in breviario, puta quia sunt quatuor tempora, feriae quadragesimae etc. ut in rubrica n. 9., eo casu sumuntur lectiones primi nocturni de communi, quae alioquin ad majorem solemnitatem solent assignari; tunc enim ad necessitatem leguntur.

Cum itaque in breviario romano die 29. Decembris pro festo s. Thomae Cantuariensis assignatae reperiantur lectiones primi nocturni de communi un. mart.: *A Mileto*, solutio dubii pendet ex hoc principio: an scilicet praedictae lectiones e communi habeantur in breviario tamquam invariabiliter propriae illius officii, prout ex gr. in officio s. Clementis P. M.

23. Nov.: *A Mileto*, s. Elisabeth reg. Portugalliae 8. Julii: *Mulierem fortem*; vel potius habeatur propriae accidentaliter, scilicet ob deficientiam lectionum de scriptura currenti, prout ex gr. in memoratis feriis quatuor temporum, in rogationibus aliisque diebus evenire solet.

Nos autem confidenter asserimus ideo assignari primas lectiones de communi, quia lectiones de scriptura currente pro die 29. Decembris omnino desunt. Cum enim initia librorum s. scripturae semper inscribantur dominicae, (excepta dominica I. post Pentecosten, quae cum perpetuo impediatur a festo Trinitatis, inscribuntur fer. 2. post eadem dominicam) et cum dominica seu potius officium dominicae infra oct. Nativ. perpetuo recurat post festum s. Thomae, id namque docet rubrica illius diei: Si festum Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Joannis Evangelistae, ss. Innocentium et eorum dies octavae venerit in dominica, ipso die nihil fit de dominica, sed die proximo post festum s. Thomae martyr fit de ea, — et si festum s. Thomae venerit in dominica, qua casu transfertur in secundam feriam secundam, tunc etiam leguntur quidem lectiones de communi: *A Mileto*, sed non ideo quia sunt propriae, sed quia dies 30. Decembris incidens in fer. 2. lectiones de scrip. curr. non habet, cum lectiones hujusmodi in breviario non habeantur nisi pro duobus diebus, pro eo scilicet, quo fit officium dominicae, et pro die 31. Neque sumi possunt ex praecedenti hebdomada dominicae IV. Adventus, quae ordinarie supersunt; nam illae, cum accommodatae sint tempori sacri adventus, desinunt, superveniente Nativitate Domini et praeterea fieri aliquando potest, ut omnes jam lectae fuerint.

Nec quis objiciat, si lectiones de

communi. *A Mileto*, apponerentur non tamquam propriae sed accidentaliter et in substitutionem lectionum de scriptura occurrente, quae tunc desunt, assignari tamen eas debuisse pro eo anno, quo festum s. Thomae incidat in dominica, in qua lectiones hujusmodi haberi possunt. Fatemur quidem facile id fieri potuisse; sed cum non singulis annis recurat hic casus, non immerito suspicabimur talem adnotationem mentem excidisse ac silentio praeteritam remanisse. Cujus quidem silentii rubricarum multa suppetunt exempla in anni decursu, quemadmodum ex gr. videre est in tota quadragesima, in feriis II. et IV. rogationum, in quatuor temporibus; in vigilia Ascensionis, quibus diebus frequenter cadunt officia Sanctorum, in quibus suppletur cum lectionibus de communi, quin tamen rubrica his in casibus quidquam animadvertat. His addendum est, quo casu festum s. Silvestri incidit in dominica, commemorationem dominicae fieri in officio s. Silvestri et officium infra octavam Nativitatis celebrari in sabbato; et in eodem sabbato anticipari lectiones: *A Mileto*, ob solam accidentalem deficientiam lectionum de scriptura occurrente.

Alia quoque difficultas oriri posset ex eo, quod rarum in ipso breviario romano non sit, ut lectiones de scriptura assignatae reperiantur de communi pro officio aliquorum Sanctorum non quia pro iis militet ratio seu solemnitatis seu necessitatis, prout supra ex rubricis generalibus notatum est, sed quia fortasse sic placuit eas assignare. Hujusmodi exempla suppetunt in festis s. Elisabeth reginae rit. sem., s. Agnetis, s. Agathae, s. Caeciliae, s. Martini, s. Clementis, s. Luciae, quorum officis assignantur lect. noct. de communi; negari id certe non potest; at sedulo est animadver-

tendum in iis festis lectiones de communi tamquam proprias et non ad necessitatem semper conjungi cum officio illorum Sanctorum aut integre proprio aut magna saltem ex parte, scilicet cum propriis antiphonis ad Laudes, ad Benedictus et Responsoriis. Non valet igitur paritas cum officio s. Thomae, quod nihil habeat proprium, neque in totum neque ex parte.

Caeterum quanta cura sit, quanta sollicitudo rubricarum, ut lectiones de scriptura currenti nunquam, quoad fieri potest, omittantur, ex sequenti rubricarum ipsarum dispositione conjicere licet. Officio ss. Angelorum Custodum, die 2. Octobris, assignantur in breviario romano, tamquam propriae et particulares, lectiones de scriptura ex libro exodi cap. 23. d.: *Ecce ego mittam Angelum etc.* Quoniam vero potest aliquando fieri ut, superveniente dicto ss. Angelorum festo, de currentis scripturae lectionibus, quae in hebdomada dominicae 5. Septembris sunt de libro Esther, legi omnino non potuerit, hoc in casu jubet rubrica particularis breviarii, initium saltem, seu ut ajunt, „incipit“ earum lectionum in officio ss. Angelorum, amotis hinc lectionibus eorum propriis, recitandum esse: En rubricae verba praedicta die 2. Octobris: „Lectiones primi nocturni, quae sequuntur (de libro Exodi), omittuntur eo anno, quo in praecedentibus diebus non potest legi initium libri Esther.“ Quod exemplum licet pro praesenti quaestione non sit omnino directum, eo tamen consilio in medium adduximus, ut scilicet inferatur, si ex rubricarum spiritu absque plausibili aperta causa lectiones de scriptura currenti non sunt omittendae etiam cum praepudio, si ita loqui fas est, lectionum, quae sunt propriae et particulares alicujus festi non esse tenacius retinendas in officio s. Thomae lectiones, quas de facto con-

stat initio assignatas fuisse de communi ob deficientiam lectionum de scriptura, in die ejus propria, quando festum illud transfertur in diem, in quo hujusmodi lectiones haberi possent.

Atque haec ratio habita fuisse videtur ab hac S. C., quae in similibus dubiis semper stetit pro lect. de script. curr. Sic ex. gr. cum vetera breviorum exemplaria in officio s. Raymundi Nonnati confessoris die 31. Augusti haberent lectiones de communi: *Beatus vir*; itemque in festo s. Stanislai Kostka, ut plurimum apponerentur, illae de communi: *Justus si morte*; quaesitumque esset pro norma definienda in nova definienda in nova editione breviarii romani, quae juxta apostolicas sanctiones Mediolani publicatur, an de communi, seu potius deberent esse de scriptura legendas, S. haec Congr. respondit die 29. Mart. 1851: *De script. occur.* Hinc in proposito translationis casu libenter subscribimus opinioni rubricatarum, de quibus mentio fit in dubio, cui propterea respondendum ducimus: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 11. Augusti 1860.

(Anal. J. P. 1861 p. 339 et 351.)

2) Officium et Transl.

Vd.: *Offic.* (translatio in sequ. annum, decr. n. 4501.)

Concedi posse pro *Anglicanis* et confluentibus ad eorum Ecclesiam in ipsa die festi s. Thomae Cantuar. et Octava dumtaxat Missam et Officium; infra vero Octavam, aliis festis impeditam, faciendam esse commemorationem Octavae juxta rubricas. N. 1314 die 23. Martii 1641.

Festum s. Thomae Cantuar. (sem.) quando transfertur ad Vigiliam Epiphani. et dicta Vigilia est dominica

vacans sem., transferendum est ad aliam diem non impeditam post Octavam Epiph. Dom. Non obstat decret. fel. record. Gregorii XIII., quod est singulare privilegium et non lex. N. 2859 ad 2 die 12. Martii 1678.

Die 29. Decembris Canonici regul. Lateran. faciunt Officium de s. Thoma Cantuar. ritu dupl. min. Occurrente vero in Dominica recitandum esse Officium de Sancto cum commem. dominicae et die 30. Decembris recitandum Officium de die infra Octavam Nativit. N. 2943 ad 7. die 1. Martii 1681.

Alexander PP. III.

Nos auditis innumeris et magnis miraculis, quae per illius sancti Thomae Cant. merita fieri universitas narrat fidelium... praedictum Archiepiscopum solemniter in Ecclesia magno Collegio ibidem Clericorum et Laicorum praesente canonizavimus ipsumque decrevimus SSrum catalogo adseribendum.

Datum Signiae 12. Mart. 1173.
(Bull. rom. tom. I. p. 41.)

S. THOMAS DE VILLANOVA.

Vd.: *Stigmata s. Francisci; Titul. Cathed.* (decr. n. 3763), *Missale* (Correctio D. n. 42.)

Rubr. Offic. de ss. Nomine B. V. M. disponit, quod festum s. Stigmatum s. Francisci transferatur in proxime sequentem diem, nisi sit dominica, et cum sequens dies festo s. Thomae de Vill. sit assignata, quamvis sit ad libitum, quaeritur, an sit transferendum vel omittendum festum s. Thomae de Vill.?

S. C. resp.: Celebrandum festum s. Thomae ea die, qua occurrit, nisi fuerit dominica, quia tunc eo anno omittatur et transf. est festum s. Stigmatum ad diem Officio novem lectionum non impeditam. N. 2887 ad 3 die 6. Maii 1679.

Bullam Alexd. VII. Cal. Noobr. 1658 emanatam de s. Thomae de Vill. canonisatione vid. in Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 76 (Ed. Luxemburg 1727.)

Ex Indulto Alexdr. VII. de die 25. Aug. 1659 Complutensis Academia recitare potest Off. s. Thomae de Vill. sub ritu dupl. 2. cl. cum octava.

(Bull. mag. rom. tom. VI. p. 100.)

Valentina.

Supplicantibus humiliter S. Rituum Congregationi capitulo et canonicis ecclesiae metropolitanae civitatis Valentinae pro facultate recitandi officium proprium S. Thomae de Villanova rigore facultatum a sa. me. Clemente X. sub die 15. Novembris 1670 obtentorum, una cum aliis officiis ac integro breviario ordinis Eremitarum S. Augustini correctum ac renovatum et ab eodem Clemente X. per breve datum sub die 23. Aprilis 1673 pro ordine praedicto approbatum et recitari concessum, s. eadem Rituum Congregatio ad relationem Emi de Indice respondit: *Capitulum Valentinum posse recitare officium S. Thomae de Villanova juxta correctionem approbatam a Clemente X.* Die 2. Augusti 1698. (Anal. J. P. 1865 p. 1376. n. 2662.)

Pius PP. VII.

Quum V. Fr. modernus Archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii Capitulum et Canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut super officio s. Thomae de Villanova indulgere prout infra benigne dignaremur,

Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario praenominatum Archiepiscopum Capitulumque et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes sup-

plicationibus hujusmodi inclinati, ritum officii s. Thomae de Villanova de duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro tota civitate et dioecesi Valentina auctoritate apostolica tenore praesentium elevamus.

Datum Romae die 12. Decbr. 1806.
(Bull. r. Continuat. t. XIII. p. 72.)

THRNUM EPISCOPI.

1) Gradus.

Vd.: *Sedes; Baldachinum; Sedes Episcopi assist.; Sedes Abbatis assistentis.*

Licet Episcopo retinere in Cathedrali thronum cum tribus gradibus et suppedaneo n. 3878 ad 7. die 11. Maii 1715.

Ad dub.: An liceat Episcopo adde- dere secundum gradum altitudinis unius cubiti circiter subtus sedem, umbella seu baldachino ornatum, in qua s. concionibus in Cathedr. solet assistere? S. C. resp.: Licere retinere unum gradum cum suppedaneo.

Ibid. ad 8.

Ad dub.: An liceat Episcopo retinere unum aut plures gradus subtus faldistorium? S. C. resp.: Posse Episcopum, in casu, de quo agitur, retinere parvum tabulatum subtus faldistorium ad formam Caeremon. n. 3878 ad 9 die 11. Maii 1715.

Non licet Episcopo habere thronum cum quinque gradibus sed servetur caerem. lib. 1. c. 13. n. 4062 ad 7. die 3. Aug. 1737.

Ad dub.: An liceat Episcopo retinere suam sedem seu thronum sex gradibus elevatum seu potius ipse teneatur hanc sedem reducere et dimittere ad tres gradus tantum juxta Caerem. lib. 1. c. 13. n. 4062 ad 7. die 3. Aug. 1737. S. C. resp.: Ad mentem, quae est, quod thronum Episcopi superemineat supra stallo Canonico- rum. n. 4103 ad 8. die 10. Dec. 1740.

Ad idem dub. S. C. resp.: Esse

reducendam sedem episcopalem ad tres gradus et unum suppedaneum ita tamen, ut sit inferior mensa altaris et superior stallis Canonico- rum. n. 4145 ad 8 die 20. Julii 1743. n. 4163 ad 8. die 22. Aug. 1744.

Urbanien.

Quum Cathedralis Urbanien. Canonici S. R. C. pro opportuna solutione sequens proposuerit dubium, nimirum:

An Canonici Urbanien. gaudentes ab erectione Cathedralis jure duorum graduum in Choro possint habere in Presbyterio scamnum cum duobus gradibus non secus ac in Choro quando Episcopus assistit in sua sede collocata in cornu Evangelii quatuor gradibus e terra erecta? S. eadem C. in ordinario coetu ad Quirinales aedes subscripto die coadunata, referente infrascripto secretario, respondendum censuit: „Negative et episcopalis etiam thronus quoad gradus uniformis sit institutis Caeremonialis Episcoporum. Lib. I. cap. 13. N. 3. n. 4906.

Die 12. Sept. 1840.

2) Situs.

Ad dub.: An in Collegiata s. Mich. Archang. Surrenti possit retineri thronum inversum et illud in rectum poni, Archiepiscopo interveniente et Pontificalia exercente? S. C. resp.: Negative N. 4031 ad 6. die 12. Mart. 1735 n. 4094 ad 6. die 11. Julii. 1739.

THURIBULA.

1) Duo in missa.

Cf.: *Incensatio Laicor.* (ductus et ordo); *Incensum.*

In festis pontificalibus non probari duorum thuribulorum usum, (unum quo incensantur Canonici et aliud quo eodem tempore thurif. laicus). N. 373. ad 4. die 15. Mart. 1608.

Servandam esse dispositionem Caeremon. et tam Episcopum et Canonicos, quam etiam caeteros omnes cum unico tantum thuribulo thurificandos esse n. 559. die 21. Julii 1618; n. 3236 die 16. Dec. 1690.

Duplicis Thuribuli usus improbatur. n. 1513 die 4. Junii 1644.

Ecclesia regulariter uno tantum utitur thuribulo; in aliquibus tamen ecclesiis permittuntur duo ad tollendas controversias super praecedentia. n. 2445 ad 10 die 31. (Julii) 1665.

Ad dub.: An licet eodem tempore thurificare Canonicos et Magistratum duobus thuribulis? S. C. resp.: „*Servetur concordia.*“ n. 2475 ad 5. die 23. Mart. 1669.

Ad idem dubium S. C. resp.: Servetur solitum, scilicet tolerandum usum duorum thuribulorum. n. 2788 die 13. Junii 1676.

Vd.: *Instr. Cl. §. XX. n. 13.*

Ragusina.

Archiepiscopus Ragusinus petit, an ab ipso permittendum ut confratres in eorum oratoriis duo thuribula adhibeant in functionibus, quorum altero ad thurificandos Canonicos cathedralis divinis ipsis interessentes, uno autem pro thurificandis custodibus confraternitatum earumdem eodem tempore utantur. Et s. Congregatio jussit agenti archiepiscopi oratoris ore tenus dici, ne quid innovetur. Die 29. Januarii 1656.

(Anal. J. P. 1863 p. 337.)

2) Duo in process. SS. Sacramenti.

Cf.: *Processio SSmi Regular. (modus; decr. n. 5130); Thuriferarius in process.*

Servari potest consuetudo (Cathedralis Conimbricen.), ut duo medii Canonici tunicella et dalmatica induti in processione corpor. Chr. thuribula deferant

et SSmm incensant. n. 4233 ad 13. die 14. Apr. 1753.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 11. 13. 17. §. 19. §. XX. n. 9. Episcopus (finita missa in Coena D. ante processionem) imponit incensum in duo thuribula. Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 11. 12. Praeparentur duo thuribula pro processione Fer. V. in coena Dom. Ibid. n. 3.*

Ad processionem SSmi in Parasc. parata esse debent duo thuribula. *Ibid. c. XXV. n. 30. 31. Episcopus assistens ante primum gradum altaris SSmi in duo thuribula imponit incensum (in Parasc.) Ibid. c. XXVI. n. 14. 15.*

Duo Acolythi cum duobus thuribulis in process. SS. Cor. Chr. continue SSmm per viam thurificant. *Ibid. I. II. c. XXXIII. n. 7. 14. 19. 26.*

3) Quando non adhibentur?

Vd.: *Incensum (Quando non adhibet.)*

4) Quis porrigit Episcopo?

Episcopus redit ad altare (depositis paramentis missalibus et accepto pluviali ad sedem) et accepto altero ex thuribulis ab assistente presbytero incensat SSmm. *Caer. Ep. I. II. c. XXIII. n. 12. Vd.: Thurificandi modus; navicula.*

5) Quomodo porrigenda?

Advertat Thuriferarius, ut, cum dat thuribulum in manus presbyteri ass. vel Diaconi, qui mox illud ad manus Episcopi porrigunt, catenularum summitatem in dextera, thuribulum vero in sinistra dicti ministri ponat, ut ipse minister deinceps commode ad manus Episcopi contrario modo porrigat, videlicet catenulas in sinistra, thuribulum in dextera. *Gaer. Ep. I. I. c. XXXIII. n. 15.*

Cf. *Thurificandi modus.*

THURIFERARIUS.

1) Num chirothecas habet?

Ad dub.: Per Caeremoniale lib. 1. cap. XI., n. 5 et 6 cautum est ne minister baculum aut mitram gestans eam nudis manibus tangat, sed nihil tale statuitur circa ministros, qui de libro, gremiali, thuribulo et navicula, candelabris serviunt: quaeritur ergo an liceat hos ministros atque illos qui serviunt de baculo aut mitra uti chirothecis?

S. C. resp.: Negative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2197.)

2) Genuflexio.

Non licet Clericis ministrantibus thuribulum seu naviculam Canonicis celebrantibus coram Episcopo genua illi flectere sicut Episcopo. n. 3516 ad 8 die 4. Apr. 1699.

In missa cor. SSmo. expos. vd.: Instructio Clem. §. XXX. n. 8. etc.

3) Laicus.

Ad dub.: An liceat Superioribus Ordinibus s. Joannis de Deo permittere Laicis deferre Thuribulum coram Sanctissimo Sacramento in Processionibus, etiamsi fuerit copia Sacerdotum, quibus pro sua dignitate pertinere videtur et an hoc ministerium exerceri debeat absque superpelliceo et cum solo habitu? Primum praescribit Rituale, sed adest abusus in contrarium.

S. C. resp.: „*Servetur consuetudo.*“ n. 4718 ad 1. die 17. Aug. 1833.

4) Quo loco se sistat ad impon. Incens.?

Vd.: *Instr. Clem. §. XXX n. 11.*

5) In Processione.

a) A Sacello ad altare majus.

Praecedit (primo loco) Thuriferarius cum thuribulo. *Caer. Ep. I. I. c. VIII. n. 24; I. I. c. XIV. n. 8.*

In Parasceve non adhibetur thurifer. in hac processione. *Ibid. I. II. c. XXV. n. 8*

b) SS. Reliquiarum.

Vd.: *Baldachinum reliquiar. et ss. crucis etc. (decr. n. 4570 nota; n. 4227); Reliquia (s. Crucis — Expositio etc., decr. Cenoman.)*

c) In Process. Domin. Palm. et Purif. B. V. M.

Vd.: *Cruciferarius; Subd. (crucifer.)*

In Process. Purif. B. V. M. ante crucem praecedit Thuriferarius et ante Thuriferarium cantores. *Caer. Ep. I. II. c. XVI. n. 15. Eodem loco incedit Thurif. in Process. Dom. Palm. Ibid. c. n. 8.*

d) In Process. SSmi Sacramenti.

Vd.: *Thuribula (duo in process.); Instruct. Clem. §. XX. n. 13. 14. Quomodo incedit infra process.? vd.: Process. SS. Sacram. Regul.*

Ad dub.: Utrum in processione Sanctissimi Sacramenti thuriferarii incedere possint, dorso ad sanctissimum Sacramentum verso?

S. C. resp.: Incedere debere a latere baldachini.

Die 10. Jan. 1852.

(Anal. J. P. 1853 p. 1430.)

6) Quis?

Vd.: *Ministri in Pontificalibus.*

Ad dub.: An participantes (Mansionarii, Portionarii, ad chori servitium absque canonica institutione et episcopali auctoritate a Capitulo electi) Cathedr. Melphit. post obtenta Insignia (rochetum et mozzettam cum caputio coloris violacei) a gerendo thuribulo ac officio Ceroferrarii in conventuali, ut prius, sint exempti? S. C. resp.: Negative et dum ministrant in officio Thuriferarii et Ceroferrarii superimponant vesti talari dumtaxat super-

pelliceum. n. 4595 ad 5. die 12 (10.) Apr. 1823.

Nota Gardell. ad hoc decret.

Cum planum est per extrinseca honoris insignia portionariorum qualitatem non fuisse immutatam neque eosdem ab iis solutos oneribus, quibus tenebantur, priusquam iisdem insignis decorarentur; jam patet adhuc Acolythorum ipsos debere fungi officiis, caeteraque tam in Missa quam in aliis choralibus functionibus praestare munia, quae Beneficiatis, Mansionariis, Portionariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis, secundi subselli Clericis incumbunt. Praeter Caeremonialis dispositionem ad rem facit S. C. Responsum in quaestione acta inter Canonicos Metropolitanae Neapolis et hebdomadarios; nam inter alia dubia primum erat: *an asserti beneficiati sive hebdomadarii nuncupati Ecclesiae Metropolitanae Neapolis in functionibus ecclesiasticis teneantur omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Ecclesiarum Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum aliisque Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis?* S. Congr. respondit: *Affirmative.* Neque ommittendum hic est, quod praefati hebdomadarii indultu gaudent gestandi Rocchettum cum manicis ad instar Canonicorum, ut colligitur ex S. C. decreto in *Neapolitana delationis Cottae* die 21. Martii 1705. Numquid autem portionarii Melphitenses novis decorati Insignis praestant hebdomadarios Metropolitanae Neapolis? Utique adimplere debent Acolythorum officia et dum his incumbunt, superpelliceum dumtaxat assumere et deponere Rocchettum, Cappam vel Mozzettam, veluti S. C. sancivit. Responsiones autem, quae hisce dubiis datae sunt, haberi perinde debent ac si essent generalia decreta in similibus casibus, qui forte in aliis Regni Neapolitani Clericis citra Pharum oc-

currere possunt, et omnino servandae, utpote quae conformia sunt juris dispositioni.

Quintus minister Acolythus thuribulum et naviculam incensi ministraturus debet aliquanto caeteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit; eaque debet elevatis aequaliter manibus tenere; videlicet thuribulum dextera, pollice in anulum majorem immisso, altero vero ejusdem manus digito minorem anulum cateulae elevanti coopertorium thuribuli oppositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculae cum incenso et cochleari caute gestabit, cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo aut navicula implicari aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare vel genuflectere cum aliis ministris ad Evangelium euntibus et redeuntibus debeat et de aliis, quae ad suum officium spectant, suo tempore a Caeremoniariis docendus erit.

Caer. Ep. l. I. c. XI. n. 7.

7) Sedes.

Vd.: *Sedes Celebr. et Ministr.; Sedes Ministr.*

THURIFICATIO.

Vd.: *Incensatio.*

1) Altarium in Vesperis.

Vd.: *Altare.*

Quando ad Vesperas praeter Altare majus aliud altare seu alia altaria incensanda sunt, tunc facta incensatione altaris majoris vel illius, ubi s. Sacramentum asservatur (quod prius est incensandum, quam altare, ad quod vesperae sunt, ut docent gavant. tom. 3. sect. 10. cap. 3. n. 18. et Merati ibid. n. 15. et alii) incensantur alia altaria et peracta incensatione altarium omnium, quae incensanda sunt, re-

vertuntur omnes parati ad Chorum et fit ibi de more incensatio secundum modum et ordinem praedictum; pergendo autem de choro ad altaria et redeundo de altaribus ad chorum, celebrans cum ministris incedere debet detecto capite ob reverentiam Cantici evangelici: *Magnificat; Caeremon. Ord. Min. part. 3. c. 3. n. 5; Bongiovanni lib. 3. cap. 3.; Bauldry part. 2. cap. 11., Castaldus in Caeremon. Cleric. Regularium lib. 2 cap. 20., Flumara in eod. Caeremon. part. 1 cap. 4 et alii plures.*

2) Archidiaconi baculum tenentis.

Vd.: *Thurif. Assistent. Ep.*

Archidiaconus, qui sustinet baculum Episcopi, dum celebrat solemniter, thurificandus immediate post diaconos assistentes: *Sac. Congr. in Bracharen. 19. Junii 1608. apud Barbos. tract. de Canonicis cap. 5. n. 52. et cap. 33. n. 22.*

3) Ab Assistente facienda.

Vd.: *Incensatio imperatoris.*

Assistens Presbyter, sive Dignitas sit sive Canonicus, thurificare debet Episcopum et non diaconus Evangelii: *Sac. Rit. Congreg. in Placentina 12. Maii 1607 apud Barbos. de Canonicis cap. 23. n. 17.*

4) Assistentium Episcopo.

Vd.: *Episcop. (incens.); Episcopus assist. missae sol.; Thurif. Archidiaconi.*

Assistentes Episcopo, licet sint minus digni, ratione assistentiae ante dignitates thurificantur et recipiunt pacem: *Sacra Congreg. Rit. in Bracharen. 19. Junii 1608 apud Barbos. tract. de canonicis cap. 33. n. 15. et 16.*

5) Beneficiatorum.

Urbis. S. Laurentii in Damasco.

Propositis iis, quae in praeinserto memoriali continentur in *Sacra Ri-*

tuum Congregatione hac infrascripta die, eadem Sacra Rituum Congregatio antiquam et laudabilem ecclesiae consuetudinem servandam esse respondit, ut scilicet beneficiati insignis ecclesiae collegiatae sancti Laurentii in Damasco de urbe in vespere et missis, quae solemniter celebrantur in dicta ecclesia pro festo conceptionis beatae Mariae Virginis, thurificentur immediate post canonicos et ante custodes seu guardianos societatis Sanctissimae Conceptionis. Et ita declaravit et in ecclesia sancti Laurentii in Damasco in dicta solemnitate servari mandavit. Die 18. Februarii 1617.

(Anal. J. P. 1863 p. 147.)

Vg.: *Thurif. Cleri.*

6) Canonicor. et Dignitat. Cathedr.

Vd.: *Incensat. Cleri (ordo); Canonici.*

(Ordo et ductus.)

Thurificatio debetur Canonicis paratis ante vicarium generalem: *Sacra Congregat. Rit. in Egitanien. 3. Augusti 1602 et in Tiburtina 6. Martii 1610 apud Barbos. in Sum. ap. decis. verb.: Thurif. n. 10. et tract. de Canonicis c. 18. n. 29.*

Thurificatio debetur prius Canonicis Cathedralis et Collegiatae, quam gubernatori et officialibus: *Sacra Congregat. Rit. in Complén. 28. Januar 1612. apud Sellium in selectis canonicis cap. 16. n. 23. et Barbosam loco cit. n. 11.*

Unde thurificatio duplici solum ductu debetur dignitatibus Cathedralium, nisi firmiter probetur immemorabilis, quod triplici ductu thurificentur, absente Episcopo: *Sac. Congr. Rit. in Casertana 16. Septembr. 1622. apud Barbos. loc. c. n. 8. tract. de Canonicis c. 34. n. 31.*

Dignitatibus in choro non debetur